

<Dist. 1, Q. 3, A. 1: Utrum alicui creaturae rationi cui entitatis condicio inest intrinsece correspondeat formaliter omnium perfectionum essentialium plenitudo>

1. Tertia quaestio ad videndum clarius perfectionem divinae naturae sit ista: Utrum alicui creaturae rationi cui entitatis condicio inest intrinsece correspondeat formaliter omnium perfectionum essentialium plenitudo. Et arguitur quod non tribus mediis. 5

2. Et primo sic: nulli rationi entis correspondet ratio primitatis; sed quaelibet primitatis ratio est denominatio perfectionis simpliciter; ergo nulli rationi entis correspondet omnium perfectionum essentialium plenitudo. Consequentia patet et minor per descriptionem denominationis perfectionis simpliciter, id est cuicumque inesset ratio primitatis inclusus esset| ex hoc quam si non haberet; ergo minor vera. Sed maior probatur, quoniam ubicumque est processus in infinitum, ibi nullum primum reperitur; sed in ratione entis est processus in infinitum; ergo ibi nulla primitas reperitur. Consequentia patet et maior videtur Philosophi, II *Metaphysicae*; sed minor probatur, quoniam inter quascumque duas species infinitae sunt possibiles; ergo ab una ad aliam est in infinitum processus. Consequentia patet et antecedens ex hoc quoniam superior excedit inferiorem, vel ergo divisibiliter vel indivisibiliter. Non est dicendum quod indivisibiliter, quia per pure indivisibile numquam provenit aliquis excessus, aliter linea per punctum terminans suam extremitatem esset maior quam sine tali puncto, quod videtur falsum. Si ergo divisibiliter, signetur ille excessus cum ille sit in infinitum divisibilis, sequitur quod infinitae sunt possibiles intermediae species quarum quaelibet erit maior inferiori specie et minor superiori; quare propositum. 10 15 20 25

3. Praeterea, nulli rationi entis correspondet formaliter omnium perfectionum essentialium plenitudo; ergo quaestio falsa. Consequentia patet; et antecedens probatur, quoniam si alicui rationi entis corresponderet, hoc maxime videretur competere deitati; sed hoc non facit; ergo propositum. Probatur minor, quoniam perfectionis est multiplicatio bonitatis respectu eiusdem rei; sed talis multiplicatio non convenit divinitati; ergo non omnis ratio perfectionis sibi competit; et per consequens minor vera. Antecedens pro prima parte istius rationis patet, quoniam bonitas addita bonitati arguit maiorem perfectionem, quoniam sint duo quorum quodlibet sit certae bonitatis illis duobus 30 35

131,4 Tertia quaestio] Because of scratches in the film of Vat. Lat. 1081, certain passages have been rendered illegibile. In such cases the illegible words have been replaced by 3 dots ... Etzkorn. **17** II *Metaphysicae*] ARIST., *Metaph.*, II, c. 2 (AL XXV-3, 44; α, c. 2; 994a 1-11).

correspondet maior bonitas quam uni per se soli, ut patet manifeste; ergo et antecedens pro prima parte verum. Pro secunda vero, videlicet
 40 quod multiplicatio bonitatis non conveniat deitati, patet quoniam non
 possunt esse plures dii, ut dicitur Eccli. 3 et Deut. 6: *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est*; quare propositum.

4. Praeterea, nulli rationi entis correspondet infinitas; ergo
 quaestio falsa. Consequentia est nota, quoniam quod caret infinitate
 45 non habet omnem plenitudinem quarumlibet perfectionum
 essentialium. Sed antecedens probatur: aliquod malum est, ergo
 nullum infinite bonum est. Antecedens patet de morali malitia,
 ignorantia et concupiscentia quae non videntur nisi quaedam mala.
 Sed consequentia probatur, quoniam omnis potentia virtutis infinitae
 50 excludit quodlibet sibi repugnans formaliter vel virtualiter; sed si
 infinite bonum ponatur in esse, illud est virtutis infinitae; igitur si tale
 esset, nullum sibi repugnans permetteret esse. Cum igitur malitia
 contrarietur infinitae bonitati, sequitur quod ‘si bonum infinitum est,
 quod nullum malum est’, et per consequens ex opposito consequentis
 55 ad oppositum antecedentis ‘aliquod malum est, ergo nullum infinite
 bonum est’, quae erat consequentia probanda.

5. Et confirmatur, si enim esset aliqua infinita caliditas, nulla in
 universo permetteret frigiditatem, ut patet per Philosophum, III
Physicorum, ubi sententialiter dicit quod si unum contrarium esset
 60 infinitum, non permetteret suum contrarium existere quovis modo.
 Ergo pariformiter ex quo bonitas est infinita et contrariatur malitiae,
 nullam talem permetteret in universo; sed hoc est falsum; ergo
 propositum.

6. Ad oppositum tamen et pro veritate quaestionis arguo tantum
 65 unico medio sic: deitati correspondet omnium perfectionum
 essentialium plenitudo; sed deitas est ratio cui entitatis condicio inest
 intrinsece; ergo quaestio vera. Consequentia et minor patent. Et maior
 est beati Augustini, I *De doctrina christiana* cap. 4 dicentis: “Omnes
 pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quisquam inveniri potest
 70 qui hoc Deum credat esse quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes
 Deum esse consentiunt quod ceteris rebus omnibus anteponunt;” et
 per consequens maior vera.

131,38 maior bonitas] *inv. sed corr. signis transp. C*

41 Audi...42 est] Deut. 6, 4.

58 per Philosophum] Cf. ARIST., *Physica*, III, c. 5 (AL

VII-1, 116; Γ, c. 5; 204a 25).

68 beati Augustini] AUGUST., *De doct. christ.*, I, c. 47

(CCL 32, ???; PL 34, ???): Omnes tamen certatim pro excellentia Dei dimicant nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse quo est aliquid melius. Itaque omnes hoc Deum esse consentiunt, quod ceteris rebus omnibus anteponunt.

<Status quaestionis>

7. Pro decisione istius quaestionis iuxta materiam trium argumentorum ad quaestionis oppositum adductorum, tres erunt 75 articuli pertractandi. Quorum primus, iuxta rationem primi argumenti, utrum sit naturaliter demonstrabile qualibus condicionibus primitatis simpliciter alicui enti per rationem propriam convenire. Secundus iuxta materiam secundi argumenti erit iste: utrum entitati cui primitas correspondet intrinsece repugnet formaliter quiditatis multiplicatio 80 numeralis. Tertius iuxta materiam tertii argumenti erit iste: utrum infinitatis positiva condicio sit evidenter demonstrabilis de qualibet entis primaria ratione.

<Art. 1: Utrum sit naturaliter demonstrabile qualibus 85 condicionibus primitatis simpliciter alicui enti per rationem propriam convenire>

8. Pro declaratione primi articuli est advertendum quod inter doctores multiplex diversitas reperitur. Prima est contradictionis, secunda probationis. Diversitas contradictionis est, quia quidam tenent quod aliquid esse primum sit per se notum, quia Deum esse, et per 90 consequens cum propositio per se nota nullo modo sit demonstrabilis, tenent quod Deum esse et aliquid esse primum, quod pro eodem habent, non est demonstrabile, eo quod per se notum. Et istius opinionis videtur fuisse magister Aegidius ut apparet in opere suo I distinctione 3 quaestione 2. Alii doctores, quos videre potui, tenent 95 quod talis propositio non est per se nota, sed est bene demonstrabilis. Et huiusmodi opinionis fuerunt beatus Thomas, Doctor Subtilis, Ochan, Adam, Ioannes de Ripa. Sed ipsorum diversitas est in modo probandi, quorum dicta repetere nimium foret prolixum.

9. Et ideo cogitavi procedere per hunc modum. Primo 100 conclusiones in aliquibus a viis omnium praedictorum doctorum aequaliter discrepantes praemittere et ipsos modulo meo probare. Secundo rationes ipsorum quae mihi erunt contrariae fideliter

90 primum] quod alii *add. sed del. C*

94 Aegidius] AEGIDIUS ROMANI, *In I Sent.*, d. 3, q. 2 ??? 97 Thomas] THOMAE DE AQUINO, *Summa theol.*, I, q. 2, a. 1-3. || Doctor Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Lectura*, I, d. 2, p. 1, q. 1-2 (ed. Vaticana, XVI, 111-145); *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 1-2 (ed. Vaticana II, p. 125-221); *Reportatio I-A*, d. 2, p. 1, q. 1-3, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U. 2004, p. 115-140). 98 Ochan] GUIL. OCKHAM, *Quodl. I*, q. 1, ed. J. C. WEY (OTh IX, 1-11). || Adam] ADAM WODEHAM, *Lectura II*, d. 3, q. 1 et q. 4, ed. G. GÁL-R. WOOD (St. Bonaventure U. 1990, II, p. 115-141 et 175-202). || Ioannes] IOANNIS DE RIPA, ???

adducere et solutionibus meo modulo declarare. Aggrediendo igitur
 105 primum pono septem conclusiones quibus videbitur quid de praemisso
 articulo sit dicendum.

<Conclusio 1>

10. Sit igitur ista prima conclusio: non est per se notum
 intellectui viatoris alicui entitati quamlibet condicionem competere
 110 primitatis. Haec conclusio sic probatur: nulla propositio dubitabilis est
 per se nota; sed talis propositio ‘aliquod ens est primum’ est
 dubitabilis; ergo nulla talis est per se nota. Consequentia et maior
 patent. Probo minorem, quia si ipsa esset nota per se, hoc maxime
 115 videretur propter hoc quod ad illam antecedit haec propositio ‘Deus
 est’, quae videtur per se nota; sed haec non est per se nota; ergo nec
 illa. Probo minorem, quoniam illa propositio non est per se nota de
 cuius subiecti significatione est dubium apud multos; sed sic est de
 ista propositio ‘Deus est’; ergo propositum. Probo minorem, nam
 120 subiectum isitus propositionis apud aliquos significat aliquid non
 habens intellectionem singularium et hoc corruptibilium, ut videtur
 Commentator sentire; sed constat quod talis propositio non est per se
 nota, antecedens(?) falsa; ergo nec illa in qua formaliter includitur ista.

11. Similiter per istum terminum ‘Deus’ intelligunt theologi
 aliquid retributivum finaliter hominibus secundum exigentiam
 125 meritorum, et hoc est dubium multis; ergo sequitur quod de
 significatione istius termini ‘Deus’ est dubium apud multos; et per
 consequens non est propositio per se nota.

12. Praeterea, cuilibet propositioni per se notae adhaeret
 intellectus ex quacumque notitia terminorum, sive illa fuerit intuitiva
 130 sive abstractiva; sed huic propositioni ‘ens aliquod est primum’ non
 adhaeret intellectus ex quacumque incomplexa terminorum notitia
 intuitiva vel abstractiva; ergo haec propositio ‘ens est aliquod
 primum’ non est per se nota. Consequentia patet et maior ex communi
 concessione. Sed minor probatur: ex nulla notitia qua movetur
 135 intellectus ad inquirendum potius quam ad assentiendum habetur
 aliquis immediatus assensus; sed ex notitia terminorum istius
 propositionis ‘aliquod ens est primum’, intellectus movetur potius ad
 inquirendum quam ad assentiendum; ergo ex notitia talium
 terminorum non habetur immediatus assensus talis propositionis.
 140 Maior est nota; et minor ex hoc, quoniam habens conceptum entis et
 primi procedit inquisitive an de aliqua ratione entis primum dicatur, ut
 patet de philosophis et theologis qui per istum modum inquisitive

processerunt, ut dicit Magister, I libro, distinctione 3; quare propositum.

13. Praeterea, quaelibet propositio per se nota est propositio 145
 immediata; sed ista propositio ‘ens est primum’ non est propositio
 immediata; ergo nec per se nota. Consequentia et maior patent.
 Minorem ego probō: quoniam si talis esse immediata, sequitur quod
 ratio formalis subiecti includit rationem formalem praedicati, et per
 consequens cuicumque competeret ratio entis, competeret ratio primi, 150
 quod videtur falsum.

14. Si DICATUR quod hoc est verum in propositione universali
 vel per se primo modo dicendi per se, CONTRA: illa propositio dicitur
 immediata cuius praedicatum de nullo alio prius dicitur quam de 155
 subiecto talis propositionis, ut apparet in istis ‘substantia est ens’,
 ‘qualitas est ens’, quae non possunt per aliquem terminum magis
 communem quam sit substantia vel qualitas et minus quam ens
 demonstrari. Sed istae ‘homo est ens’, ‘animal est ens’, possunt
 probari per substantiam tamquam per medium sic dicendo ‘omnis
 substantia est ens, quilibet homo est substantia, ergo quilibet homo est 160
 ens’. Et ideo primae sunt propositiones immediatae et secundae
 mediatæ. Constat autem quod ratio primi non respicit immediate
 rationem entis, immo huic termino ‘primo’ competit ratio entis per
 aliquid quod dicitur de primo, ut verbi gratia ‘quilibet Deus est ens et
 quodlibet primum est Deus’; ergo ... apparet manifeste quod talis 165
 propositio ‘aliquid ens est primum’ non est propositio per se nota.

15. Sed advertendum est, ut clarius appareat praedicta conclusio
 et vis argumentorum quae sit propositio per se nota pro quo, ut potui
 ex dictis multorum doctorum colligere ad integrandum rationem
 propositionis per se notae, multae condiciones requiruntur. Ad quas 170
 venandum est advertendum quod per se notum ex ratione sua formali
 excludit rationem dubitationis. Quia igitur dubitatio potest provenire
 ex defectu triplici, videlicet vel ex defectu obiecti, vel modi, vel
 subiecti. Si primo modo, adhuc dupliciter: vel ex defectu existentiae,
 vel ex defectu apparentiae. Ex primo oritur contingentia quae potest 175
 esse causa dubitationis, et ideo excluditur a ratione propositionis per
 se notae. Si ex defectu apparentiae, potest tripliciter contingere: aut ex
 parte propositionis necessariae, aut contingentis, aut alicuius
 necessario requisiti. Primum indiget demonstratione, ut patet de
 multis propositionibus necessariis| et ideo demonstrabilitas excluditur 180

C 43va

173 vel²] subiecti *add. sed del. C* **179** indiget] probatione *add. sed del. C*

143 Magister] PETRI LOMBARDI, *Sent. in IV Libris Dist.*, I, d. 3, c. 1 (ed. I. BRADY, I, p. 68-71).

a ratione per se noti. Secundum similiter: notitia sensitiva, ut patet, quia non omnis notitia sufficit ad assentiendum huic 'Sortes est albus'. Tertium indiget aliquo extrinseco, quoniam praeter notitiam terminorum istius propositionis necessariae quae non potest
 185 demonstrari 'calor est calefactivus', requiritur notitia experimentativa calidi quae est non est notitia illorum terminorum. Si vero provenit ex defectu subiecti, id est intellectus, ideo requiritur intellectus non-impeditus. Quandoque provenit ex defectu modi, id est applicationis talis propositionis ad intellectum., et ideo requiritur
 190 applicatio debita. Quia si illa propositio esset praesens intellectui, et Deus ab ea suspenderet suam causalitatem obiectivam(?), non debite intellectui applicaretur.

16. Ex quibus possumus taliter notificare propositionem per se notam. Propositio per se nota est propositio necessaria
 195 indemonstrabilis nata causare evidentem assensum ex quacumque suorum terminorum notitia absque indigentia cuiuscumque ab ea extrinseci respectu cuiuslibet intellectus non impediti, supposita applicatione debita cum Dei influenza generali. Ex qua definitione seu notificatione sequuntur quatuor propositiones correlariae. Quarum
 200 prima est quod nulla propositio contingens est per se nota; secunda quod nulla propositio scibilis scientia proprie dicta est per se nota; tertia quod aliqua propositio immediata non est per se nota, patet de ista 'calor est calefactivus' quae non potest cognosci cognitis terminis nisi per notitiam experimentativam; quarta quod nulla propositio
 205 demonstrabilis est per se nota. Ex quibus apparet manifeste quod ista 'aliquod est ens primum' non est propositio per se nota cum ipsa fuerit potius ex inquisitione accepta quam ex notitia suorum terminorum. Sic igitur apparet veritas primae conclusionis.

<Conclusio 2>

17. Secunda conclusio est haec: nulla mutationis species est demonstrativum medium aliquod ens demonstrandi simpliciter fore primum. Istam conclusionem intelligo quod ex nullo motu locali possumus demonstrative convincere aliquod in entibus simpliciter primum, ut videtur innuere Aristoteles et eius sequaces, et
 215 universaliter ex nulla specie mutationis. Ista conclusio sic probatur: cuius rationi non repugnat processus in infinitum, ex illo non potest demonstrative concludi aliquod simpliciter fore primum; sed rationi motus non repugnat processus in infinitum; ergo ex motu non potest demonstrative concludi aliquod simpliciter fore primum.
 220 Consequentia patet; et maior ex hoc, quoniam ex processu in infinitum tollitur ratio primi. Ergo constat quod processus in infinitum non est ratio inferendi aliquod esse primum, immo potius oppositum. Sed minor probatur, quoniam in generatione hominum praeteritione

dierum est processus in infinitum, secundum Philosophum. Sed
 constat quod in tali processu hominum fuit et motus localis, 225
 alterationis et augmentationis; ergo rationi motus non repugnat talis
 processus. Probo consequentiam, quia si aliquid repugnat alicui
 ratione sui, illi numquam potest tale sibi repugnans competere per
 quamcumque applicationem ad aliquod sibi extrinsecum. Si ergo
 motui repugnaret formaliter processus in infinitum, ergo fatue 230
 dixerunt philosophi in causis accidentaliter ordinatis processum
 huiusmodi fuisse. Ergo apparet quod ex ratione motus non potest
 concludi demonstrative aliquod ens simpliciter fore primum.

18. Praeterea, existentia rei corporalis non est medium
 demonstrative convincendi existentiam alicuius spiritualis; sed per 235
 rationem motus non potest demonstrative concludi nisi existentia rei
 corporalis; ergo per rationem motus non potest demonstrative concludi
 existentia alicuius rei spiritualis. Cum igitur nullum corporale sit in rei
 veritate primum, sequitur quod per rationem motus non potest
 demonstrative concludi aliquod fore primum. Consequentia patet. 240
 Probo maiorem, quoniam ab existentia rei corporalis ad existentiam
 rei spiritualis non est aliqua consequentia formalis. Unde non sequitur
 ‘caelum est, ergo Deus est’, et hoc formali consequentia, non plus
 quam ‘Sortes est, ergo Plato est’. Et per consequens per nullum tale
 medium potest demonstrative convinci aliquod non-corporale existere. 245

19. Si DICATUR quod licet non concludatur ab existentia
 praecise, tamen bene potest concludi ab existentia caeli continue mota,
 CONTRA: si per imaginationem esset infinita distantia deorsum, grave
 in infinitum moveretur nec quiesceret, et tamen a nullo moveretur a se
 distincto; ergo pariformiter diceretur quod caelum movetur continue 250
 circulariter a forma intrinseca. Et per consequens non convincitur per
 rationem motus quod aliquid sit spirituale. Minor autem patet,
 videlicet quod motus non potest demonstrative inducere nisi
 existentiam rei corporalis. Apparet per experientiam quod solum
 corpora videmus moveri localiter, augmentari et alterari; quare 255
 propositum. Et per consequens per rationem motus non potest
 demonstrative convinci aliquid fore primum.

20. Praeterea, vel per rationem motus demonstratur primitas
 competere illi cui in rei veritate competit, vel illi cui non competit, vel 260
 alicui conceptui communi et transcendentis qui vere dicitur de illo cui
 talis primitas competit. Primum non apparet, quia nulla ratio potest
 nos inducere in cognitionem propriam et distinctam deitatis, cum ex
 tali processu non acquiramus nisi notitiam discursivam. Sed si debeo
 particulariter aliquid de aliquo demonstrare, requiritur talis subiecti
 propria et distincta cognitio; ergo propositum. Nec potest dari 265
 secundum, videlicet quod per rationem motus demonstratur primitas

competere illi cui non competit, quia tunc conclusio demonstrationis
 esset falsa, quod videtur falsum. Nec tertium potest dari, videlicet
 quod demonstraretur de transcendentem, quia esset a priori aut a
 270 posteriori. Non a priori, quia in tali demonstratione requiritur aliquod
 medium demonstrandi praedicatum talis propositionis de suo subiecto;
 sed nihil est medium per quod possit concludi aliquid de ente eo quod
 nihil est ipso communis; ergo propositum. Nec a posteriori, quia tunc
 procederetur per illam rationem hoc movetur, ergo a se vel ab alio.
 275 Sed ista non concludit, quia dato quod concederetur a se moveri, ex
 hoc non haberetur quod illud esset primum. Ergo videtur quod per
 nullam rationem sumptam ex parte motus potest demonstrative
 convincere aliquid in entibus fore primum, quod erat probandum.

<Conclusio 3>

280 **21.** Tertia conclusio est haec: nulla effectiva causalitatis
 condicio convincit demonstrative intellectum viaticum assentire
 aliquid primum in entibus existere in natura. Haec conclusio sic
 probatur, quia non potest demonstrative concludi quod ad Sortem esse
 concurrat aliqua alia causa quam pater eius et mater. Ergo per illud
 285 medium non poterit demonstrative concludi aliquid simpliciter fore
 primum. Probatur consequentia, quia si quaeritur de patre et matre
 dicitur quod ab alio, ut philosophimet concedunt; ergo si ratio
 causalitatis esset medium demonstrandi a priori
 demonstratione alicuius adiuncti. Non primum, quia tunc aequae
 290 probaretur in exemplo iam dato ubi est ratio causalitatis effectivae,
 sicut in alio per adversarium dabili. Si ergo ratione alicuius adiuncti,
 sequitur adhuc propositum quod per rationem causalitatis effectivae
 non concluditur intentum.

22. Et si DICATUR quod concurrat partialiter cum ista
 295 propositione quod non est processus in infinitum, hoc NON VALET,
 quia propositio adiuncta non est demonstrative convincibilis, sed
 probabiliter tantum. Sed primum antecedens probatur, nam
 imaginationi non repugnat quin si nihil aliud foret a duobus entibus,
 videlicet homine et femina et ipsorum partibus integralibus et
 300 essentialibus et contingentibus ipsa quin ipsa, videlicet homo et
 femina possent alium generare. Ergo videtur quod non convincitur per
 rationem sumptam ex tali habitudine aliquid fore primum.

23. Praeterea, ratio ducens in errorem non est medium
 demonstrandi aliquam veritatem; sed ratio sumpta ex parte causalitatis
 305 effectivae potius inducit in errorem quam in cognitionem veritatis;
 ergo propositum. Consequentia et maior patent. Probo minorem, quia
 per rationem effectivae causalitatis non posset convinci ex apparentia
 sensibili nisi quod aliquid esset corpus cui primo competeret ratio
 effectivae causalitatis. Quod probo, nam ex hoc quod video Sortem

producere, possum inquirere: aut istud est primum effectivum istius, 310
aut non. Sed non possum demonstrative convincere quod non sit
primum effectivum istius, eo quod non possum demonstrative
concludere quod aliud ab isto concurrat cum isto in ratione causae
efficientis. Ergo praecise ex ratione sumpta sensibiliter non potest
concludi nisi quod istud est primum effectivum istius causae 315
efficientis. Sed hoc est falsum et impossibile, ergo videtur quod talis
ratio potius duceret ratione sui errorem quam veritatem cum induceret
intellectum assentiendum quod corpus sit primum simpliciter
effectivum; quare propositum.

24. Praeterea, si esse primum effectivum potest demonstrative 320
probari, aut de aliquo mere spirituali, aut partim spirituali et partim
corporali. Primum non potest dari, quia tunc esse creativum posset
nobis demonstrative concludi, quod falsum videtur. Sed
consequentiam probo, quoniam cum tale spirituale non agit per
transmutationem, sed praecise per suam volitionem et intellectionem, 325
sequitur quod intelligendo et volendo produceret res, et per
consequens crearet, quod etiam philosophi impossibile putaverunt. Si
ergo DICATUR secundum vel tertium, CONTRA: falsum est quod aliquid
pure corporale sit primum effectivum; et similiter falsum est quod
aliquid partim corporale et partim spirituale sit primum effectivum; 330
per hoc tamen non intelligo de Christo qui corporalis et spiritualis
conceditur propter communicationem idiomatum; quantum ad
propositum non multum facit. Ergo omnis ratio nullo modo
demonstrativa. Et per consequens non appareret quod ratione
demonstrativa et convincenti ex parte causalitatis effectivae possit 335
concludi aliquid simpliciter fore primum.

25. Si DICATUR quod licet talis ratio demonstraret, tamen
convinceret respondentem concedere quod aliquid tale est primum
effectivum, DICO quod adhuc non convinceret, quia posset leviter 340
concedere processum a mere corporali in infinitum, cuius oppositum
non potest per rationem convinci, cum illud nec a atheologis nec a
philosophis sit demonstratum.

<Conclusio 4>

26. Quarta conclusio est haec: nulla bonitatis inducta comparatio 345
convincit intellectum asserere aliquid primum existere simpliciter
independens. Haec conclusio sic probatur: si ex ratione bonitatis
posset concludi ratione convincenti aliquid fore primum in ordine
entium, aut hoc esset ex aliqua ratione particulari ipsius bonitatis, aut
ex ratione propria bonitatis transcendentem sumpta. Primum non

330 partim¹] sit primum C 340 a...corporali] *in imo fol.* C

- 350 potest, quia ratio bonitatis in particulari vel est bonitas disparata, vel
eadem cum prima bonitate. Si disparata, constat quod ratio formata ex
talibus nullo modo convinceret non plus quam ista ‘haec bonitas est’,
demonstrando bonitatem hominis, ‘ergo haec bonitas est’] C 44va
demonstrando bonitatem hominis, cum ab uno disparato ad aliud nulla
355 connexio videatur. Si vero talis bonitas in particulari sit ipsamet
bonitas primi gradus, ergo argumentum quod ex talibus terminis fieret,
esset petitio principii. Quod declaro: si enim vellem probare hominem
esse et assumerem sic ‘risibile est, ergo homo est’, quamvis sit bona
consequentia, tamen probatio nulla videtur, quia quod assumitur est
360 convertibile cum illo quod debet probari; et ita in proposito. Nec
secundum potest dari, videlicet quod per rationem bonitatis
transcendenter sumptam possumus concludere primam bonitatem,
quia semper a superiori ad inferius affirmative est fallacia
consequentis. Unde si sic arguam ‘animal est, ergo homo est’,
365 consequentia nulla de forma(?). Ergo pariformiter arguendo sic
‘bonitas est, ergo prima bonitas est’, consequentia nulla est. Ergo
apparet quod nec per rationem bonitatis in particulari nec per rationem
eiusdem transcendenter sumptam potest convinci aliquam primam
bonitatem esse.
- 370 **27.** Nec valet si DICATUR quod hoc non possit demonstrari per
viam illationis formalis, sed per viam inquisitionis, hoc NON VALET,
quia nulla ratio quae intellectum non cogit ad eius assensum per viam
contradictionis necessitat et convincit intellectum quinimmo posset
intellectus huiusmodi inquisitivum discursum solvere apparenter;
375 quare apparet quod non videtur per talem processum necessario
intellectum convinci.
- 28.** Praeterea, ens, bonum, verum convertuntur; sed ex nulla
veritate disparata a prima veritate, nec etiam sequente primam
veritatem potest demonstrative concludi prima veritas; ergo nec ex
380 aliqua bonitate tali potest convincenti ratione concludi prima bonitas.
Consequentia et maior patent. Probo minorem, quoniam da
oppositum, tunc ista esset bona consequentia et formalis ‘Sortes est,
ergo Deus est’, et similiter demonstrato quocumque alio. Sed hoc est
falsum, quia tunc ex opposito consequentis formaliter sequeretur
385 oppositum antecedentis et per consequens sequitur ‘primum non est,
ergo nihil est’. Sed ista consequentia non videtur valere cum
intellectus possit assentire quod primum non sit, quamvis non possit
assentire quod nihil sit, cum ipso se ipsum percipiente existere non
staret assensus eiusdem respectu sui non esse cum non possit
390 contradictoriis assentire.
- 29.** Praeterea, cum triplex distinguatur ratio bonitatis a
Philosopho, I *Ethicorum*, videlicet utilis, delectabilis et honesti, aut

ergo posset ratione convincenti per aliquam istarum rationum concludi
 primitas alicuius entis respectu omnium entium, aut non. Si non, 395
 habetur propositum. Si sic, contra: non per rationem utilis, quia adhuc
 posito processu in infinitum, non minus posset intellectus salvare de
 se ipso omnia quae concernunt suam substantiam| quam ante. Nec
 C 44vb ratione delectabilis per similem rationem. Nec ratione honesti, quia
 intellectus posset moveri tali medio: iniustum est iudicare aliquod
 falsum esse verum, et cum hoc posset firmiter tenere processum esse 400
 in infinitum, ergo posset sibi concludere iniustum et asserere aliquid
 fore primum. Quare manifeste sequitur quod ex nulla ratione bonitatis
 potest convincenti ratione probari primitas alicuius gradus essendi, et
 hoc ut praevisi pro statu viae, supposita Dei influentia generali.

<Conclusio 5>

405

30. Quinta conclusio est haec: nulla necessitatis permansiva
 condicio convincit intellectum asserere aliquid primum existere
 qualibet primitate. Ista conclusio sic probatur: quodcumque aliqua
 ratio est communis pluribus, per illam rationem quidquid potest
 probari de uno illorum, potest et de reliquo. Sed secundum 410
 philosophos necessitatis ratio non solum respicit unum solum, immo
 plura, quoniam apud eos materia prima, caelum et intelligentiae
 habent rationem necessitatis intrinsecae, ita quod impossibile est ipsa
 non esse. Ergo si per rationem necessitatis probaretur aliquid esse
 primum, per eandem rationem posset probari materiam primam esse 415
 primum in ordine entium, quod videtur falsum; quare propositum.
 Consequentia et minor patent dicta philosophorum inspicienti. Et
 maior declaratur, nam ratio humanitatis est Sorti et Platoni communis,
 et ideo quidquid convenit uni ratione talis humanitatis formaliter
 convenit et alteri. Et ideo si talem rationem assumerem pro medio ... 420
 ... illud de Platone, illud idem potest similiter de Sorte concludi.

31. Nec valet si DICATUR quod non est simile, quia ratio
 humanitatis est specifica et ratio necessitatis est generis vel generalis,
 hoc NIHIL EST, quia si per rationem animalis vellem probare aliquid de
 Sorte, idem possem probare de Platone, ex quo talis ratio est utrique 425
 communis. Ratio ergo generis vel speciei non habent hoc in quantum
 talia, sed praecise in quantum quodlibet ipsorum participat rationem
 communis, quare per hoc non evaditur difficultas.

32. Praeterea, si per rationem necessitatis posset convincenti
 ratione demonstrative probari primitas alicuius entis, hoc maxime 430
 foret quia in tali ratione includitur independentia quae manifeste arguit
 aliquid esse primum. Sed hoc non potest demonstrative concludi; ergo
 propositum. Probo minorem: aut independentia respicit rationem
 necessitatis convertibiliter, aut secundum superius et inferius, aut
 disparate. Si primo modo, ergo cuicumque competeret necessitas, 435

eidem competeret independentia, et per consequens sicut per rationem necessitatis non probaretur quod plus primitas competeret materiae primae quam tali enti cui nunc necessitas| attribuitur, ita similiter per rationem independentiae, et ita non plus esset independens quam
 440 aliud. Si vero se habent secundum superius et inferius, et non est dicendum quod independentia sit superior, quia sic rediret quod prius inducebatur. Ergo detur quod sit inferior, ergo est certa particularis ratio necessitatis quae per rationem necessitatis minime possit demonstrative concludi, cum intellectus posset processum in infinitum
 445 ponere in rationibus necessitatis sicut in aliis existit declaratum. Si vero se habent ut disparata, sequitur, ut prius dictum est, quod unum non est formalis ratio aliud inferendi; quare propositum.

33. Praeterea, si per rationem necessitatis posset convincenti ratione demonstrative concludi primitas alicuius gradus essendi, hoc
 450 maxime videretur per hoc quia cuicumque competit ratio necessitatis, illud taliter est quod circumscripto quocumque alio, non minus tale remanet ens, et ex hoc videtur primum existere in natura. Sed hoc non obviat, nam secundum vias philosophorum – non curo si possibile vel impossibile poneretur – staret quod secunda intelligentia maneret
 455 destructo quocumque alio. Quod patet, nam esse suum intrinsecum, secundum viam Philosophi, non habet ab aliquo effective quia sic fuisset creata quod ipse negaret. Ergo sic inest sibi ratio necessitatis intrinsecae quod impossibile est ipsam non esse. Et per consequens, quocumque alio circumscripto secundum viam suam, non minus tale
 460 remaneret, et tamen ex hoc primitas in ordine entium sibi non convenit. Ergo non per hoc quod aliquid est et circumscripto quocumque alio in ordine entium sit primum. Et quod ita haberet Philosophus, facta tali positione dicere, probo quia aut talis intelligentia data est intrinsece necessaria, aut non. Si sic, habetur
 465 propositum. Si non, ergo intrinsece est contingens et per consequens sibi non repugnaret posse non esse. Et qua ratione de ista, eadem ratione de quacumque alia. Et ita secundum suam viam haberet concedere mundum posse non esse, quod suis dictis repugnat; quare propositum.

470

<Conclusio 6>

34. Sexta conclusio est haec: processum infinitum in entibus non existere non est viatoribus convincenti ratione demonstrabile vel aliquatenus per se notum. Et intelligo istam conclusionem et praecedentes, supposita generali influenza, quia non intendo dicere
 475 quin beati oppositum videant, vel etiam Deus ex sua misericordia possit hoc quibus voluerit revelare. Haec conclusio sic intellecta taliter probatur, quia in infinitum procedere non videtur impossibile in natura; ergo conclusio vera. Consequentia patet. Antecedens probatur

C 45rb multipliciter, quoniam secundum philosophos in causis accidentaliter ordinatis in infinitum procedere possumus. Si ergo talis processus, ex sua ratione esset impossibilis, nulli qualitercumque competere posset. Similiter in ratione quantitatis discretæ est processus in infinitum, quia ab uno numerando possumus in infinitum procedere ut imaginatio docet. Similiter in divisione quantitatis continuæ est processus in infinitum ut apparet cum continuum sit in infinitum divisibile. Similiter in revolutionibus planetarum est processus in infinitum secundum viam philosophorum. Ergo non videtur impossibilitas ex parte sui, et per consequens oppositum non est ratione convincenti demonstrabile quod talis processus in entibus nullo modo reperiat; quare propositum.

35. Praeterea, in causis essentialiter ordinatis est possibilis processus in infinitum; ergo conclusio vera. Consequentia patet. Et antecedens probatur ex imaginationibus magistri Ioannis de Ripa qui hoc tenet ex intentione. Cuius rationes adduco quia satis confirmant conclusionem meam. Arguo igitur sic: inter quamcumque causam secundam et ipsum Deum infinitæ causæ sunt possibles; ergo ab illa ad Deum est processus in infinitum. Consequentia patet. Probo antecedens: nam signo duas causas essentialiter ordinatas, videlicet *a* *b*. Sit *a* perfectior, *b* minus perfecta. Et tunc arguo sic: Deus magis excedit *a* quam *a* excedat *b*; ergo inter Deum et *a* est possibilis perfectior causa quam sit *a*. Patet consequentia ex quo *a* non est Deo immediata. Cum igitur *a* et similiter *b* sint causæ essentialiter ordinatæ respectu *c*, ergo si talis species possibilis inter Deum et *a* poneretur, non minus esset causa essentialiter ordinata quam Et consimiliter(?) sicut arguitur respectu *a*, posset argui respectu talis speciei possibilis si poneretur in esse, quia Deus adhuc plus excederet talem speciem possibilem quam talis species excederet *a*, et sic manifeste concluditur quod in talibus causis esset processus in infinitum.

36. Praeterea, quocumque ente creato signato, inter illud et Deum sunt infinita possibilia; ergo ab illo ad Deum est possibilis processus in infinitum. Consequentia patet. Et antecedens per similem imaginationem probatur: nam sit *a* unum tale ens. Et quaero: aut Deus tantum finite excedit *a*, aut non. Primum non est dicendum, quia sic Deus esset finitus cum ipsius ad certum finitum esset finita proportio. Si ergo infinite, sequitur quod inter ipsum et Deum sint infinita etiam possibilia, et per consequens a tali ad Deum est possibilis processus in infinitum. Et per consequens non apparet quod convincenti ratione

possit probari quod nullus talis processus sit possibilis, cum videatur
520 propositio ad utrumlibet.

37. Ex quibus tribus conclusionibus et aliis tribus praecedentibus
sequitur correlariae proportio quae pr. Ex quibus tribus
conclusionibus et aliis tribus praecedentibus sequitur correlariae
proportio quae promittitur| in hac forma. Non est nobis convincenti
525 ratione demonstrabile ex propositionibus per se notis et evidentibus
nobis evidentia reducta ad certitudinem primi principii quod aliquid in
ordine entium gaudeat privilegio primitatis. Ista propositio patet ex
quo per primam conclusionem primum esse non est per se notum et
per alias quinque. Si posset hoc probari: aut per rationem motus, et
530 hoc non ut dicit secunda conclusio; aut per rationem effectivae
causalitatis, et hoc non ut dicit tertia; aut per comparisonem bonitatis,
et hoc non ut dicit quarta; aut per rationem necessitatis, et hoc non ut
dicit quinta conclusio; aut per hoc quod non est possibilis processus in
infinitum, et hoc non ut dicit sexta. Ergo cum non videatur alia via
535 nobis ex lumine naturali possibilis, sequitur quod non est convincibile
aliquid fore primum, et per consequens conclusio vera correlativa.

C 45va

<Conclusio 7>

38. Septima et ultima conclusio est ista: aliquid esse primum
primitate simpliciter in tota rerum serie est a cunctis probabiliter
540 rationabiliter profitendum. Ista conclusio probatur primo de primitate
finis et secundo de primitate efficientis. Primo ergo ipsam de primitate
finis probo per rationem quae mihi facit fidem. Et suppono duas
propositiones quas quilibet admittit sine contradictione. Quarum prima
est haec: universitas entium habet bonum ordinis et connexionis. Haec
545 propositio patet per experientiam, quia videmus naturam inferiorem
superiori succurere, ut patet de ascensu aquae ne vacuum
relinqueretur, et hoc est quia natura particularis plus inclinatur ad
bonum ordinis universi quam ad bonum proprium, ut apparet.

39. Secunda propositio est ista ... est bonum ordinis aliquorum
550 subsistentium inter se, illud quod terminat illum ordinem est
subsistens et separatum et nobilioris perfectionis omnibus
subsistentibus infra illum ordinem cuius bonum est appetibilibus
naturali inclinatione quam bonum ordinis vel cuiuscumque
ordinatorum. Haec propositio potest etiam aliquantulum declarari,
555 quia talia ordinata vel tendunt naturaliter in bonum ordinis, vel in
bonum proprium, vel in aliquod bonum subsistens et separatum. Non
in bonum ordinis formaliter ut ordo est, quia sic talia ordinarentur ad
aliquid relativum sive ad aliquam relationem, et per consequens

524 nobis] *scrip. pos. ratione sed corr. signis transp. C*

nobilius ordinaretur ad id quod est minus nobile, quod non videtur
verum. Nec tendunt naturaliter in bonum proprium, quia 560
unumquodque talis ordinis esset sibi ipsi finis et ita non haberent ad
invicem bonum ordinis et connexionis, quod est contra primam
propositionem. Relinquitur ergo quod talia ordinata naturaliter
inclinantur ad tale bonum subsistens et separatum.

40. Quibus praemissis arguo sic: quaelibet multitudo habens 565
bonum ordinis, habet aliquid ad quod naturaliter et finaliter inclinatur;
sed tota rerum universitas est multitudo habens| bonum ordinis; ergo
C 45vb tota rerum universitas habet aliquid ad quod naturaliter et finaliter
inclinatur, et per consequens tale quid est omnium finis ultimus, quod
erat probandum. Consequentia patet, et maior ex secunda 570
suppositione, et minor ex prima; quare propositum. Ista ratio in rei
veritate sumitur ex dictis Philosophi et sui Commentatoris, XII
Metaphysicae, ubi capitulo ultimo ex ratione concludit: “Unus ergo
princeps.”

41. Praeterea, secundo probatur illa conclusio de primitate 575
efficientiae sic: quodlibet contingens indiget producente et
conservante; sed quodlibet ordinatum ad finem ultimum est
contingens; ergo quodlibet ordinatum ad finem ultimum indiget
producente et conservante, et non se ipso indiget ut producente, quia
sic se ipsum produceret, quod communis animi conceptio abhoret; 580
ergo indiget fine ultimo ut producente et conservante, et per
consequens propositum. Consequentia patet. Et maior probatur,
quoniam cuiuslibet rei contingentis non-esse praecessit suum esse, et
per consequens si est de necessitate, habuit producens. Sed minor
probatur, quoniam illud est contingens quod, circumscripto 585
quocumque alio, sequitur ipsum non esse. Sed si per imaginationem
finis ultimus non esset, nullum ordinatum ad finem esset; ergo
sequitur quod quodlibet ordinatum ad finem videtur intrinsece
rationem habere contingentiae, et per consequens quodlibet tale
dependet effective ab ultimo fine; quod est propositum.s 590

42. Praeterea, agens ex se indifferens ad productionem 595
multorum effectuum quoad ordinem necessario indiget aliquo
determinante; sed ignis et fere omnia agentia naturalia sunt ex se
indifferentia ad productionem suorum effectuum quoad ordinem; ergo
de necessitate indigent aliquo ipsa determinante. Consequentia et
maior patent. Sed declaro minorem: constat quod ignis applicatus
certo combustibili producit multos ignes, et prius unum quam alium,
et hoc non habet ex se ut apparet, quia non est maior ratio quare

572 Philosophi] ARIST., *Metaph.*, XII, c. 10 (AL XXV-3, 269; Λ, c. 10; 1076a 3);
AVERROES, *Metaph.*, XII, com. 55 (ed. Iuntina VIII, f. 340rbFG).

600 producit ante *a* quam *b*, et ante *b* quam *c*. Si ergo ab aliquo
determinantur, maxime videtur quod ab eo ad quod naturaliter
inclinantur. Et per consequens cum tale sit finis ultimus, sequitur quod
finis ultimus omnia talia determinat; sed sic determinare est agere;
ergo propositum. Istae tamen rationes, licet sint probabiles, tamen in
605 rei veritate leviter possunt solvi. Et sic apparet quid sentio de articulo
praelibato.

<Argumenta contra opinionem auctoris>

43. Contra primam conclusionem arguo aliquibus mediis. Dicit
namque illa prima conclusio quod non est per se notum alicui enti
rationem primitatis simpliciter convenire. Contra: Deum esse est per
610 se notum; ergo aliquid ens esse primum est per se notum.
Consequentia patet. Et antecedens probatur: quaelibet propositio,
cuius terminis cognitis mox ipsa cognoscitur, est per se nota. Sed talis
est haec propositio 'Deus est' ergo Deum esse est per se notum.
Consequentia et maior patent. Sed minor declaratur, quoniam nomine
615 Dei intelligimus id quo melius ex cogitari non potest. Sed constat
quod quandocumque intellectui proponeretur aliquid est quo melius ex
cogitari non potest, intellectus statim assentit. Ergo et quando sibi
proponitur 'Deus est intellectus' statim assentit, et per consequens
talis propositio est per se nota.

620 44. Praeterea, iste terminus 'Deus' convertitur cum isto termino
'quod non potest non esse'; sed certum est quod ista propositio 'quod
non potest non esse' est propositio per se nota; ergo et ista 'Deus est'
est propositio per se nota. Consequentia patet et maior quoniam
'necesse esse' et 'Deum esse' convertuntur; sed 'necesse esse' et
625 'quod non potest non esse' convertuntur; ergo et 'Deum esse' et 'quod
non potest non esse' convertuntur. Sed quod haec sit per se nota 'quod
non potest non esse, est', patet cum eius opposita implicet expressam
contradictionem; quare propositum.

45. Praeterea, quaelibet propositio cuius notitia omnibus
630 naturaliter est inserta, est propositio per se nota; sed haec propositio
'Deus est' est talis quod eius notitia omnibus naturaliter est inserta;
ergo talis propositio est per se nota. Consequentia patet et minor
probat, quia omnis passio insurgens naturaliter in appetitu oritur ex
aliqua naturali opinione vel aestimatione; sed audacia insurgit in his
635 qui bene se habent ad Deum; ergo haec opinio vel aestimatio de Deo
est omnibus naturaliter inserta. Consequentia et maior patent. Et minor
est Philosophi dicentis, III *Rhetoricae*, qui iniusta fecerunt arbitrantur
namque quoddam divinum auxiliari iniusta patientibus. Quare videtur

622 est¹] iter: C 624 convertuntur...626 convertuntur] in imo fol. C

omnibus naturaliter inserta Dei cognitio; et per consequens
propositum. 640

46. Praeterea, quandocumque aliquae duae propositiones sic se
habent quod una praesupponit aliam, si praesupponens est propositio
per se nota, a fortiori et propositio praesupposita. Sed istae duae
propositiones ‘Deus est venerandus et colendus’ et ‘Deus est’ sunt
tales. Nam ista ‘Deus est venerandus’ praesupponit istam ‘Deus est’ et
ista ‘Deus est venerandus’ est per se nota, ergo a fortiori et ista ‘Deus
est’ erit per se nota. Consequentia patet. Probatur minor, videlicet
quod illa ‘Deus est venerandus’ sit propositio per se nota, quoniam
quaelibet communis animi conceptio videtur cuilibet per se nota. Sed
communis animi conceptio est quod Deus sit venerandus, ut
Commentator, V *Ethicorum*, dicit de lege enim naturae est ut Deo
sacrificetur, quod autem tali vel tali, puta Bresardae vel alteri deo,
positivum est, non naturale; ergo communis animi conceptio est Deum
fore colendum; quare propositum. 645
650

47. Praeterea, quaelibet propositio cuius subiecti significatum
est id quo omnia alia cognoscuntur, est propositio per se nota; sed talis
est ista Deus est; ergo propositum. Consequentia et maior apparent et
minor declaratur: lux divina intellectualiter est sine comparatione
perfectior quacumque luce corporali; sed nihil naturaliter sensibiliter
videri potest nisi mediante luce solari; ergo a fortiori nihil potest
intelligi nisi mediante luce divina spiritali, et per consequens
quidquid cognoscitur luce divina cognoscitur. Ergo a fortiori ipsa lux
divina cum semper propter quid et unumquodque et illud magis, ut
dicitur I *Posteriorum*; quare propositum. 655
660

48. Praeterea, quaelibet propositio sequens immediate ex primo
principio est per se nota; sed talis est ista ‘Deus est’; ergo propositum.
Consequentia patet et maior, quoniam cum consequentia bona et
formalis sit semper evidens et per se nota, sequitur quod ubi
antecedens est per se notum et consequentia, similiter quod propositio
sit per se nota, sequens sit per se nota. Sed probatur minor: omnis
propositio primo vera est sequens ex primo principio, immo videtur
primum principium. Sed haec propositio ‘Deus est’ est primo vera;
ergo propositum. Maior istius propositionis est nota, et minor
declaratur, quoniam illa propositio est primo vera de cuius subiecto
verificatur esse primum verum; sed ita est de subiecto istius
propositionis ‘Deus est’; ergo propositum. Nam ‘Deus’ est primum
verum incomplexum, ergo et ‘Deum esse’ est primum verum 665
670
675

664 I Posteriorum] ARIST., *Anal. Post.*, I, c. 2 (AL IV-1, 9; A, c. 2; 72a 29-30): Semper enim propter quod est unumquodque, illius magis est.

complexum, et per consequens est propositio per se nota; quod erat probandum.

680 **49.** Ad istas rationes respondeo. Pro quo praemitto unum quod dicit beatus Thomas, I *Contra Gentiles* cap. 11, et apparet mihi rationabiliter dictum quod deceptio opinantium Deum esse fore per se notum provenit ex duobus. Primum, quia non advertunt ea quae nobis
685 proveniunt ex consuetudine et maxime a provincia(?) et ideo talia iudicant naturalia fore. Unde pueri, quia nomen Dei audiunt et illud vident alios magnificare, ideo semper illud eis remanet et videtur quasi naturaliter insertum. Secundum est, quia non distinguunt inter illa quae sunt per se nota naturae et nobis per se nota, ut dicit Philosophus, II *Metaphysicae*: “Sicut oculus nicticoracis ad lumen
690 solis, ita et animae nostrae intellectus ad ea quae sunt manifestissima naturae.”

<Responsio ad argumenta supra dicta>

50. Isto igitur notabili praemisso, venio ad rationes. Ad primam cum dicitur quod quaelibet propositio, cuius cognitio terminis mox
695 ipsa cognoscitur, est per se nota, transeat ista; et ad minorem quod ista Deus est talis nego. Ad probationem cum dicitur quia per hoc nomen ‘Deus’ intelligitur id quo melius ex cogitari non potest, dico quod ista significatio forsitan non habetur apud omnes. Et dato quod sic, adhuc nego illam propositionem, quia quaecumque intellectui
700 proponetur id quo melius ex cogitari non potest, est, adhuc intellectus posset dubius remanere an aliquid tale esset in rerum natura; quare propositum.

51. Ad secundum] cum dicitur in virtute quod propositiones convertibiles sic se habent quod si una est per se nota et alia; sed istae
705 duae propositiones, videlicet ‘quod non potest non esse est’, et ‘Deus est’ convertuntur, est ista ‘quod non potest non esse est’, est per se nota, cum eius oppositum includat contradictionem; ergo etc., dico ad assumptum quod non oportet quod si sciam unam quod sciam aliam, sed requiritur cum hoc quod sciam ipsas esse convertibiles. Et tunc
710 quando dicitur quod huiusmodi sunt illae, dico quod hoc non est nobis per se notum, quia philosophi posuerunt multa quae non possunt non esse, et tamen illa non vocaverunt Deum. Nec etiam illud quod

C 46va

684 et maxime] scrip. pos. provincia sed corr. signis transp. C

681 beatus Thomas] THOMAE DE AQUINO, *Contra Gentiles*, I, c. 11 ??? **688** dicit Philosophus] ARIST., *Metaph.*, II, c. 1 (AL XXV-3, 43; a, c. 1; 993b 9-11); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 118: Sicut se habet oculus nocticoracis ad lumen solis vel diei, sic se habet noster intellectus ad manifestissima naturae. **693** Ad primam] Cf. supra n. 43. **703** Ad secundum] Cf. supra n. 44.

assumitur quod oppositum illius ‘quod non potest non esse est’,
 includit contradictionem, quoniam est una mere negativa quae nullam
 contradictionem includit, videlicet quod non potest non esse est non 715
 est ex qua nulla contradictio sequitur.

52. Ad tertium cum dicitur quod notitia huius Deus est omnibus
 naturaliter est inserta, dico quod hoc potest tripliciter intelligi: vel
 quia omnes naturaliter appetunt illud, vel quia omnes naturaliter 720
 assumerunt(?) illud, vel quia nullus naturaliter potest de illa
 propositione dubitare. Si primo modo et secundo intelligeretur
 secundum aliquos negaretur quod propter hoc talis propositio esset per
 se nota. Si intelligeretur tertio modo negaretur assumptum, videlicet
 quod notitia talis propositionis taliter esset hominibus inserta quod de 725
 ipsa nullatenus possent dubitare. Posset etiam dici secundum
 praemissum notabile quod talis notitia non est naturaliter inserta, sed
 potius ex consuetudine quam homines iudicant naturae intrinsicam
 inclinationem; quare propositum.

53. Ad quartum cum dicitur de illis propositionibus ‘Deus est
 venerandus’ et ‘Deus est’ quod prima est per se nota, nego. Ad 730
 probationem cum dicitur quod est communis animi conceptio, hic dico
 quod hoc non est naturaliter, sed ex quadam communi consuetudine
 hominibus sic apparet. Sed remanet dubium: unde ergo habuit ortum
 ista veneratio? Dicitur dupliciter: uno modo ex revelatione, alio modo 735
 ex probabili inductione per quam concluserunt sapientes unum
 optimum esse. Primum dicerent theologi, secundum vero philosophi,
 et sic de isto.

54. Ad quintum cum dicitur quod Deus est quo omnia alia
 cognoscuntur, apparet per notabile quod licet Deum esse sit 740
 manifestissimum in natura, non tamen nobis. Et cum dicitur quod si
 per eum alia cognoscimus a fortiori ipsum, dico quod hoc non valet,
 quia licet hoc habeamus a Deo effective, non tamen repraesentative, ut
 species Sortis ducit intellectum in notitiam Sortis.

55. Ad ultimum cum dicitur de ista propositione Deus est quod 745
 est primo vera et per consequens per se nota, dico quod aliquid esse
 primo verum potest intelligi dupliciter: aut quia significat primum
 verum, aut quia praedicatum talis propositionis de nullo alio primo
 dicitur, sicut dicimus quod homo est primo risibilis, quia de homine
 primo verificatur risibile quam de Sorte vel Platone. Si primo modo

C 46vb

716 sequitur] ad *add. sed del. C*

717 Ad tertium] Cf. supra n. 45. 725 secundum praemissum] Cf. supra n. 49. 729 Ad
 quartum] Cf. supra n. 46. 738 Ad quintum] Cf. supra n. 47. 739 per notabile] Cf. supra
 n. 49. 744 Ad ultimum] Cf. supra n. 48.

750 intelligitur, non oportet quod propter hoc talis propositio sit per se
nota. Si secundo modo similiter, quia haec est talis ‘homo est risibilis’,
et tamen non est per se nota; quare propositum.

<Argumenta contra conclusiones auctoris>

755 **56.** Contra sententiam quinque conclusionum sequentium in
correlario illato ex ipsis contentam quod dicit non est nobis
convincenti ratione demonstrabile ex propositionibus per se notis et
evidentibus nobis evidentia reducta ad certitudinem primi principii
quod aliquid in ordine entium gaudeat privilegio primitatis, arguo per
rationes Philosophi et doctorum multipliciter.

760 **57.** Et primo per rationes Philosophi sic: omne quod movetur a
se vel ab alio movetur; sed aliquid movetur; ergo a se vel ab alio
movetur. Consequentia est nota, et minor patet per experientiam de
sole et aliis corporibus caelestibus, et maior similiter per sufficientem
divisionem. Et tunc ultra: quod movetur a se, vel ab alio movetur; sed
765 impossibile est aliquid se ipsum movere, nec est possibile quod in
moventibus et motis sit processus in infinitum; ergo necesse est
pervenire ad aliquod movens immobile simpliciter; tale autem est
primum; ergo propositum. Consequentia videtur nota, sed
propositiones assumptae probantur. Et primo prima, videlicet quod
770 non est possibile aliquid se ipsum movere. Ista propositio probatur
tribus mediis. Et primo sic: signo aliquod corpus cui competat primo
et per se moveri, et sit *a*. Arguo tunc sic: cuicumque competit aliqua
ratio primo et per se, quocumque alio variato, non minus illud tale sibi
competeret. Sed *a* per positum competit primo et per se a se ipso
775 moveri; ergo quocumque alio variato non minus *a* competeret moveri
a se ipso. Sed hoc antecedens est impossibile, ergo et antecedens; et
non maior, ergo minor, quod est propositum. Quod autem hoc sit
impossibile apparet, quoniam ad quietem partis sequitur quies totius;
ergo moveri non competebat toti primo et per se. Probatur ista
780 consequentia, quia pars ipsa non est totum, ergo si ratione partis
quiesceret, ratione illius etiam moveretur. Et per consequens sibi non
conveniebat primo et per se moveri. Et antecedens patet, quoniam si
ad quietem partis totum non quiesceret, staret totum moveri nulla eius
parte mota, quod videtur falsum, cum non sit maior ratio quare plus
785 ratione unius partis quiesceret quam ratione alterius. Et ista ratio
sumitur sententialiter ex VII *Physicorum* cap. 1. Et per consequens

760 Philosophi] ARIST., *Physica*, VII, c. 1 (AL VII-1, 256; H, c. 1; 241b 24); *Auct. Arist.*,
ed. J. HAMESSE, p. 155: Omne quod movetur ab aliquo movetur. 786 VII *Physicorum*]
ARIST., *Physica*, VII, c. 1 (AL VII-1, 256-260; H, c. 1; 241b 24-243a 2).

sequitur quod omne quod movetur, ab alio de necessitate movetur,
 C 47ra quod est propositum.

58. Praeterea, eadem propositio inductive probatur sic: omne
 quod movetur per accidens movetur ab alio, quoniam ad motum 790
 alterius, ut patet de anima in nobis quae movetur ad motum corporis.
 Similiter omne quod movetur per violentiam, ab alio movetur, ut patet
 per experientiam. Similiter omne quod movetur voluntarie, ab alio
 movetur, ut patet in corporibus animalium quae moventur ab ipsa 795
 anima. Similiter omne quod movetur per naturam, ab alio movetur, ut
 apparet quia a generante et re movente prohibens. Sed omne quod
 movetur, aut movetur per accidens aut per violentiam aut per
 voluntatem seu appetitum cognitivum, aut per naturam. Ergo omne
 quod movetur, necesse est ab alio moveri. Haec ratio sumitur ex VIII
Physicorum cap. ‘Moventium igitur’; quare etc. 800

59. Praeterea, eadem propositio sic probatur: nihil est simul actu
 et potentia respectu eiusdem; sed omne quod movetur ut sic est in
 potentia, quia “motus est actus entis in potentia in quantum in
 potentia,” ut dicitur III *Physicorum*. Et omne quod movet, ut sic est in 805
 actu, quia nihil agit nisi secundum quod est in actu; ergo nihil est
 respectu eiusdem movens et motum. Et per consequens si aliquid est
 motum, illud necesse est ab alio moveri. Haec ratio sumitur ex VIII
Physicorum cap. ‘Hoc autem’; quare propositum.

60. Secunda propositio, videlicet quod in moventibus et motis
 non sit processus in infinitum sic probatur: sequitur quod in 810
 moventibus et motis est processus in infinitum, ergo infinitum
 movetur. Consequens est impossibile, ergo et antecedens. Sed
 consequentia probatur, quoniam omne motum est corpus sicut
 demonstratum est VI *Physicorum*. Si ergo est in talibus processus in
 infinitum, sequitur quod tota illa multitudo movetur, et talis sumpta 815
 categorematice est infinita; ergo de facto infinitum movetur. Et quod
 hoc sit impossibile probatur, quoniam omnis motus vel est rectus vel
 circularis. Impossibile est autem infinitum moveri motu recto, quia
 tunc relinqueret terminum a quo et per consequens non esset

789 inductive] movetur *add. sed del. C*

799 VIII *Physicorum*] ARIST., *Physica*, VIII, c. 4 (AL VII-1, 291-296; Θ, c. 4; 254b 7-256a 3). 804 III *Physicorum*] ARIST., *Physica*, III, c. 1 (AL VII-1, 98-99; Γ, c. 1; 201a 10-11); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 148: Motus est actus entis in potentia secundum quod in potentia. 807 VIII *Physicorum*] ARIST., *Physica*, VIII, c. 5 (AL VII-1, 296-305; Θ, c. 4; 256a 4-258b 9). 814 VI *Physicorum*] ARIST., *Physica*, VI, c. 4 (AL VII-1, 229; H, c. 4; 234b 10); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 154: Omne corpus est mobile et omne mobile corpus.

820 infinitum, cum non totum replet. Similiter in motu circulari hoc est
impossibile, quia tunc infinitum spatium pertransiretur in tempore
finito quod est impossibile, ut apparet in VI *Physicorum*. Probo istam
consequentiam, quoniam signo lineam exeuntem a centro terrae versus
zenith capitis nostri praecedentem in infinitum, ex quo est talis
825 processus per positionem, et moveatur tale corpus circulariter sicut
nunc de facto caelum facit. Constat tunc quod talis linea tempore
aequinociali hora 12 tangeret horizontem nostrum, et tamen taliter
versus processum in infinitum moveretur; ergo in tempore finito
pertransiret spatium infinitum, quod est impossibile. Ista ratio sumitur
830 partim ex VII *Physicorum* cap. 2, partim ex I *De caelo et mundo*, ubi
quasi sententialiter sumitur ista probatio. Ibi enim Philosophus adducit
quinque demonstrationes quod caelum non est corpus infinitum; quare
etc.

C 47rb

61. Praeterea, omne movens instrumentaliter movet virtute
835 alicuius moventis principaliter; sed omne movens virtute alicuius est
movens instrumentaliter; ergo omne movens virtute alterius movet
virtute alicuius moventis principaliter. Ergo ex opposito consequentis,
ubi non et movens principaliter, ibi nihil movet virtute alterius; sed
quidquid sequitur ex antecedente et consequente, sequitur ex
840 antecedente per se. Sed sequitur 'nihil movet principaliter nec aliquid
movet virtute alterius, ergo nihil movet', ergo sequitur 'nihil movetur
principaliter, ergo nihil movet'. Sed dato processu in infinitum, nihil
movet principaliter. Ergo dato tali processu nihil movet, et per
consequens nihil movetur, quod est contra experientiam. Ista ratio
845 extrahitur ex VIII *Physicorum* cap. 'Hoc autem dupliciter'. Ex quibus
apparet quod necesse est aliquid esse primum.

62. Secundo arguo per rationem Doctoris Subtilis contra eandem
positionem quae reputatur multum convincens in proposito sic:
aliquod ens est effectibile, ergo vel a se vel ab alio; sed non a se, quia
850 ex I *De Trinitate* nulla res est quae se ipsam gignat. Si ergo ab alio,
consimiliter quaero de illo: vel ergo esset processus in infinitum vel
est deveniendum ad aliquod efficiens quod nullo modo est effectibile;
tale autem erit primum. Sed processus in infinitum in causis, maxime
essentialiter ordinatis, est impossibilis; ergo propositum. Consequentia
855 et totum patet per experientiam, excepta propositione nunc ultimo

822 VI *Physicorum*] ARIST., *Physica*, VI, c. 2 (AL VII-1, 220-226; H, c. 2; 232a 23-233b 32). **830** VII *Physicorum*] ARIST., *Physica*, VII, c. 2 (AL VII-1, 260-264; H, c. 2; 241a 2- 245a 17). || De caelo] Cf. ARIST., *De caelo et mundo*, I, ??? **845** VIII *Physicorum*] ARIST., *Physica*, VIII, c. 5 (AL VII-1, 296-305; Θ, c. 5; 256a 4-258b 9). **847** Doctoris Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 1, q. 1-2, n 43 (ed. Vaticana, II, p. 151-152) **850** De Trinitate] AUGUST., *De Trin.*, I, c. 1, n. 1 (CCL 50, 28; PL 42, 820).

sumpta quae probatur: universitas causatorum, dato tali processu, adhuc est causata: vel ergo ab aliquo illius universitatis, vel a nullo, vel certe ab aliquo alio quod non est aliquid talis universitatis. Non est dicendum quod a nullo quin contradictionem implicat aliquid esse causatum et tamen a nullo sit causatum. Nec potest dici quod ab aliquo illius multitudinis, quia tunc aliquid se ipsum produxisset quod videtur absurdum. Ergo per sufficientem divisionem sequitur quod ab aliquo quod non est aliquid talis universitatis; tale autem est primum simpliciter; quare propositum. Et per consequens non est possibilis talis processus in infinitum.

63. Praeterea, dato tali processu in infinitum, sequuntur tria magna inconvenientia. Primum quod infinitae causae actualiter existerent, quod imaginatio non capit et videntur superfluitas in natura, cum ad omnem effectum causandum quem videmus fieri praecise finitae sufficiant. – Secundum inconveniens quod sequitur, quia ibi nulla causa esset altera prior, quia ex V *Metaphysicae*, illud prius dicitur quod est primo propinquius. Sed ubi est processus in infinitum, nihil est primum; ergo nec aliquid prius altero. – Tertium inconveniens quod sequitur est quia inter huiusmodi causas non esset causalis dependentia, quoniam causae quae in infinitum distarent a certa data, essent de facto infinitae, quia ex quo in infinitum processus non est imaginabile quin plures sint infinitae, et per consequens una ab alia non dependeret, quia infinitas in aliquibus arguit in eisdem perfectionis aequalitatem; haec autem impossibilia, ergo propositum.

64. Tertio arguo contra praedictam positionem per argumentum quod multum movet doctorem *De causa Dei contra Pelagium*, in principio sui operis sic: sit *a*, gratia exempli, idem in significando quod aliquid tam bonum et tam perfectum quo melius aliquid ex cogitari non possit, tunc propono: *a* est possibile. Constat quod huiusmodi propositio non est neganda sumendo ‘possibile’ pro eo ad cuius existentiam nulla penitus contradictio sequi videtur. Nunc autem ad *a* esse nulla sequitur contradictio et per consequens *a* esse est possibile. Tunc arguo sic: cuius rationi repugnat esse ab alio ipsum est, si possibile est ipsum esse; sed rationi eius quod est *a* repugnat esse ab alio et ipsum possibile est esse; ergo de facto est. Maior istius probationis patet, quia si possibile est aliquid esse, vel ergo a se, vel ab alio est possibile esse. Si ergo tali repugnat, vel non est possibile esse ab alio, nec se ipsum potest ponere effective in esse, sequitur

871 V *Metaphysicae*] ARIST., *Metaph.*, V, c. 11 (AL XXV-3, 106; Δ, c. 11; 1018a 9-11); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 126: Prius est quod principio est propinquius. **881** De...Dei] THOMAE BRADWARDINE, *De causa Dei adversus Pelagium*, I, (ed. London 1618 ???).

quod de facto est. Et minor probatur, videlicet quod rationi *a* repugnat
 895 esse ab alio, quia si non, da quod ab alio produceretur, vel illud esse
 melius *a* vel non. Non est dicendum quod esset melius, quia tunc
 esset perfectissimo melius quod est falsum. Si non, vel est minus
 bonum *a*, vel aequale. Si minus, numquam produceret *a*. Si aequale,
 eadem ratio esset de illo. Ergo standum est in illo, et per consequens
 900 tale esset primum simpliciter, quod erat probandum. Ista ratio sumitur
 ex sua radice, licet ab eodem non ita efficaciter sit formata.

65. Quarto arguo contra praedictam conclusionem per rationem
 magistri Ioannes de Ripa, I *Super sententias* distinctione 2^a quaestione
 1^a articulo 1^o. Suppono tamen duas propositiones quarum prima est
 905 haec: si *a* sit infima causa in| tali coordinatione causarum, et *b* sit
 causa superior *a*, et *c* superior *b*, et sic in infinitum; in tali
 coordinatione est possibilis causa in duplo perfectior quam *a* et in
 triplo et sic in infinitum; ista satis patet ponenti talem processum.
 Secunda propositio est haec: quaelibet causa perfectior in data
 910 coordinatione in qua proportione est intensior alia quoad gradum
 essendi in ea proportione praecise est dependentior quacumque alia
 remissiori. Ista propositio, quia videtur aliquantulum prima facie
 dubia, sic declaratur: *b* ad suum esse exigit duplam activitatem ad *a*,
 ergo *b* in duplo plus dependet quam *a*. Et consequentia probatur,
 915 quoniam proportionaliter sicut aliquid plus exigit de extrinseco ad
 suum esse, plus ab extrinseco dependet in esse. Et antecedens patet:
 nam *b* correspondet essentialiter dupla latitudo essendi ad *a*, et per
 consequens in duplo plus exigit de activitate ad suum esse.

66. Quibus praemissis arguitur sic: in latitudine entium est
 920 aliquid unum per se necessario esse et simpliciter primum. Si non, sit
 igitur *a* aliqua entitas. *A* igitur vel est in latitudine entium per se
 necesse esse, vel ab alio. Si primum, habetur propositum. Si secundum
 detur, videlicet quod sit ab alio, consimiliter quaero: vel est processus
 in infinitum, vel est deveniendum ad aliquod quod a nullo dependet ut
 925 sit, et per consequens est primum.

67. Si detur processus talis cum in tali coordinatione ab infima
 causa versus superiores sit assensus in perfectione essendi ex prima
 propositione. Et iuxta hoc proportionaliter sit latitudo dependendi ex
 secunda propositione, sequitur quod in tali coordinatione causae
 930 superiores magis exigunt extrinsecum a quo dependeat quam
 inferiores, et per consequens data quacumque multitudine finita in tali
 coordinatione versus causam infimam, illa minus est dependens tota
 coordinatione residua. Sed talis non est sibi ipsi sufficiens ad esse,
 ergo nec tota talis coordinatio, et per consequens necessarium est

927 ex prima] Cf. supra n. 65. 928 ex secunda] Cf. supra n. 65.

aliquid extrinsecum tali coordinationi, ut possit ipsam in esse 935
conservare.

68. Confirmatur ratio in exemplo materiali: sit *a* sit aliquid
fluxivum non determinabile propriis terminis, puta aqua et innitatur
terminis alienis qui aequae ex se sint fluxivi, puta terminis *b* et *b* ipsi *c*
cuius termini sint ex se aequae fluxivi; et plus constat quod per 940
infinitam coordinationem imaginariam istorum non posset *a* figi nec
flueret, immo aequae fluerent omnia simul nisi esset aliquid per se
fixum quod ipsa firmaret vel locaret. Ita in proposito, ex quo versus
C 48ra accessum ad dictas superiores continue fit accessus ad maiorem et
maioem *a b* dependentiam et habilitatem in non esse, sequitur quod 945
tota ista coordinatio causarum non sufficit *a* per tempus vel per instans
figere in esse, quare requiritur unum per se necesse esse. Et istae sunt
rationes apparentiores quae iudicio meo fieri possunt in materia quas,
ut potui, breviter recolligi.

<Contra argumenta supra dicta> 950

69. Ad istas igitur per ordinem ego respondeo. Et primo ad
rationes philosophi. Et primo ad primam propositionem quando dicit
quod omne quod movetur, ab alio movetur. Illa propositio negaretur,
quia daretur sibi instantia de angelo et voluntate humana quae se ipsa
movent. Sed tunc ad primam rationem dico quod illa supponit quod 955
omne mobile sit corpus, quod a doctoribus negatur. Sed qualiter
angelus localiter moveatur, alterius considerationes est de qua nihil ad
praesens. Et tunc ulterius dico, dato quod daretur quod nullum corpus
esset movens se ipsum, sed quodlibet tale ab alio movetur, ergo
quodlibet mobile ab alio movetur. consequentia nulla est, quia arguitur 960
tunc ab inferiori ad superius distributive addita superiori et inferiori.
Acsi argueret 'omnis homo currit, ergo omne animal currit'.
Verumtamen eundo adhuc ad rem, dico quod in corporibus adhuc non
videtur verum, secundum quod dicit Ocham; nam grave descendens se
ipsum movet et movetur. Nec valet dicere a generante vel a 965
prohibente, quia licet hoc habuerit effective, non tamen est actualiter,
cum stat generans vel removens prohibens non esse, et tamen hoc
naturaliter moveri deorsum. Quod confirmatur non est in tali
casu nec a generante nec a prohibente, et tamen quanto grave est
centro propinquius tanto velocius movetur; ergo hoc videtur quod sit a 970
forma intrinseca. Et tunc quando dicitur ergo eidem competeret primo
esse motum et movens, quidquid sit de consequentia non curo. Dico

962 ergo] a *add. sed exp.* C

952 ad primam] Cf. supra n. 57. 964 dicit Ocham] Cf. GUIL. OCKHAM, *Expos. in libros
Physic. Arist.*, VII, c. 1, ed. G. ETZKORN (OPh V, 595-606).

tamen quod si per li primo motum intelligatur non per aliud distinctum, concedo, videlicet quod non concurrat ad situm esse. Nunc
 975 autem patet quia partes requiruntur ad esse totius, ideo nil facit ad
 propositum quod si pars quiesceret, totum quiesceret, ergo sibi non
 primo competit.

70. Ad secundum cum dicitur quod omne quod movetur sive per
 violentiam, sive per accidens, sive per naturam, sive per appetitum,
 980 movetur ab alio, diceretur quod falsum est, ut iam dictum est de
 angelis et voluntate.

71. Ad tertium diceretur quod non est aliquod inconueniens
 idem diversis considerationibus esse actum et potentia, sicut quod
 album sit album et possit esse nigrum, et similiter quod Sortes sedeat
 985 et possit moveri, et tamen eadem est res penitus, sicut diceretur de ipsa
 voluntate quae est unica res et indivisibilis. Sic igitur apparet quod
 illa propositio non haberet colorem ad convincendum intellectum.

C 48rb

72. Ad probationem alterius propositionis, videlicet quod in
 moventibus et motis non est processus in infinitum, hic dico quod
 990 posset dici primo quod dato tali processu in infinitum, adhuc non
 sequeretur quod infinitum moveretur in tempore finito. Et ad
 probationem quando dicitur quod signetur una linea egrediens a centro
 versus zenith capitis nostri admittatur imaginatio. Et tunc quando
 dicitur quod talis linea infra spatium 24 horarum pertransiret spatium
 995 infinitum, ego nego. Et ratio est, quia diceretur quod huiusmodi
 corpora non moverentur motu continuo et uniformi. Et ideo licet
 quacumque parte istius multitudinis assignata sit verum dicere quod
 movetur in tempore finito, numquam tamen esset verum de tota
 multitudine, quia non movetur aliquo uno motu. Et ideo si talis linea
 1000 imaginabilis signaretur, adhuc non haberetur intentum, quia semper
 praesupponitur quod motus omnium istorum corporum sit continuus et
 uniformis, quod iam negatum est. Si autem diceretur quod ponatur in
 esse quod ita sit, tunc non haberetur intentum ex ratione evidenter
 convincente, cum tota ratio supponeret unum valde dubium.

73. Praeterea, secundo posset imaginari, dato tali processu in
 1005 infinitum in moventibus et motis, quod istud fieret per continuam
 rarefactionem et condensationem; unde si per imaginationem quantum
 rarefieret aliqua portio alicuius corporis sphaerifici, tantum
 condensaretur alia, et sic continue in infinitum haberetur talis
 1010 processus in infinitum in moventibus et motis. Et tamen non
 sequeretur conclusio intenta, videlicet quod in tempore finito
 pertransiretur spatium infinitum. Sic igitur apparet quod illa ratio

978 Ad secundum] Cf. supra n. 58. **980** dictum est] Cf. supra n. 69. **982** Ad tertium] Cf.
 supra n. 59. **988** Ad probationem] Cf. supra n. 60.

multa supponit quae non possunt demonstrative probari. Supponit namque primo quod tota ista multitudo corporum unico motu moveatur; secundo quod circulariter moveatur eo modo quo nunc caelum dicimus moveri, quae tamen omnia sunt ignota; quare propositum. 1015

74. Praeterea, posset dici tertio quod concesso toto illo quod intendit ratio, adhuc non habetur intentum, concesso quod est devenire ad unum quod in tali ordine sic est movens quod nullo modo motum, adhuc non haberetur quod tale esset primum in tota entium serie. Sicut, verbi gratia, homo in se ipso potest arguere per experientiam aliqua pars mea movetur: vel ergo a se, vel ab alio. Non a se, ergo ab alio, et non est processus in infinitum, ergo est devenire ad unum primum in ordine entium. Consequentia nihil valet. Sed bene 1020
 C 48va sequeretur quod in tali ordine motus| veniremus ad unum primum. Illud tamen non esset simpliciter primum omnium entium. Sic igitur apparet quod illa prima ratio philosophi de processu in infinitum non est convincens necessario concedere quod intendit. 1025

75. Ad secundam rationem cum assumitur quod omne movens instrumentaliter movet virtute alicuius moventis principaliter, hic dico breviter quod si per li instrumentaliter movere intelligatur virtutis alterius movere, tunc dato processu in infinitum quodlibet tale moveret principaliter et instrumentaliter, quoniam signatis tribus moventibus in tali ordine, utputa *a b c*, tunc dico quod *b* virtute *a* moveret *c*, et *c* virtute *b* moveret unum aliud, sit gratia exempli *d*, et tunc *b* moveret principaliter et instrumentaliter, et ex hoc non sequeretur quod tunc nihil moveret. Et sic apparet quid est dicendum de rationibus philosophi, quod licet sint probabiles, non tamen convincentes demonstrative. 1030
 1035

76. Ad rationem vero Doctoris Subtilis cum dicitur aliquod ens est effectibile, vel ergo a se, vel ab alio, hic dico primo quod posset dici quod esset processus in infinitum. Et ad probationem quod non, quando dicitur tota ista multitudo est causata, vel ergo ab aliquo illius multitudinis, vel a nullo, vel ab aliquo quod non est aliquid illius multitudinis. Primum et secundum non possunt dari ut apparet; ergo oportet quod detur tertium ex quo habetur propositum. Hic dico quod ista ratio capit multas instantias. Primo, quia aequae fiet istud argumentum de causis accidentaliter ordinatis sicut in suo proposito, et tamen ibi non concludit ergo nec hic. Verbi gratia, signo totam multitudinem causarum accidentaliter ordinarum. Constat, 1040
 1045
 1050

1050 ergo] scrip. pos. hic sed corr. signis transp. C

1030 Ad secundam] Cf. supra n. 61. 1041 Ad rationem] Cf. supra n. 62.

secundum viam philosophi, quod in talibus est processus in infinitum. Et tunc arguo sicut ipse arguit: tota ista multitudo est causata, vel ergo ab aliquo illius multitudinis, vel a nullo, vel ab aliquo quod non est
 1055 illius multitudinis. Hic diceretur quod li tota potest sumi categorematice vel syncategorematicae. Si capiatur syncategorematicae, concederetur quod tota illa multitudo est ab aliquo illius multitudinis, quia quaelibet pars istius multitudinis est ab aliquo illius multitudinis, a nullo tamen est quaelibet istius multitudinis. Si categorematice vero
 1060 sumatur, constat quod sicut esset concedenda vel neganda illa propositio per quam significaretur multitudo causarum accidentaliter ordinarum, sic conformiter et alia. Unde secundum viam philosophi diceretur quod tota illa multitudo non est causata sumendo| li tota categorematice, quia nihil causavit totam illam multitudinem. Et tunc
 1065 negaretur talis consequentia: 'quaelibet pars istius multitudinis est causata, ergo tota ista multitudo est causata', accipiendo categorematice li tota in consequente. Sicut, verbi gratia, ponamus quod Sortes videat Martinum et nullum alium, et Martinus videat Platonem et nullum alium, et Plato Sortem et nullum alium, tunc
 1070 capiendo li tota syncategorematicae haec est vera 'tota ista multitudo videt aliquem hominem' quia quaelibet eius pars, quia Sortes videt hominem et Martinus et Plato similiter, et tamen si li tota capiatur categorematice, falsa est quod tota illa multitudo videt hominem, quia tunc sensus est quod isti tres vident hominem quod falsum est, quia
 1075 nec videret Platonem nec Sortem, nec alius homo datur per casum; ergo isti non vident hominem, et tamen quilibet illorum videt hominem; quare propositum. Et consimiliter posset dari instantia de partibus continui et multitudine numerorum.

77. Secundo dico quod dato quod concederem sibi unum
 1080 primum in tali ordine, non sequeretur propter hoc quod tale esset in ordine omnium entium primum. Unde forsitan diceretur quod illud primum effectivum est caelum vel intelligentia movens ipsum. Ex hoc tamen non haberetur quod caelum vel talis intelligentia esset in ordine omnium entium primum.

1085 78. Ad aliam rationem de tribus inconvenientibus diceretur quod primum non esset inconveniens, videlicet quod infinitae tales causae existerent. Unde si Deus aeternaliter produxisset mundum, ut aliqui doctores imaginantur, et productio hominum fuisset eo modo quo ipsam tenet theologi, iam actualiter essent infinitae animae, et tamen
 1090 ex hoc nullum inconveniens posset inferri ad quod non posset quis respondere sufficienter, et ita in proposito, quare etc.

1085 Ad aliam] Cf. supra n. 63.

79. Ad secundum quod videtur inconueniens quod nihil esset prius et posterius, hoc negatur, immo quodlibet esset prius et posterius. Et cum dicitur quod “illud est prius quod est primo propinquius” per Aristotelem, dicitur quod ex quo talis poneret processum in infinitum, non haberet tenere Aristotelem, quia aequae ipse est oppositae opinionis, et ideo illud non multum moueret. 1095

80. Et ad tertium inconueniens quod infertur quia tunc inter eas non esset causalis dependentia pro eo quod multae causae essent infinitae, et per consequens una ab alia non dependeret in rei veritate, non sequitur, sed est defectus logicae. Unde in tali casu, licet quacumque data causa in tali ordine contingat dare perfectiorem causam, numquam tamen aliqua in tali ordine est perfectior quacumque data, et ideo numquam inuenietur aliqua una quae sit infinita, sicut in partibus continui quacumque data contingit dare minorem, numquam tamen aliqua est minor quacumque data. 1100

81. Secundo dico quod dato quod essent infinitae causae, non propter hoc tollitur ordo causalis dependentiae inter illas. Unde si Deus produceret effectum infinitum, ut quidam dicunt fore possibile, adhuc tamen inter eos non tolleretur ordo causalis dependentiae. 1110

82. Sic igitur apparet qualiter est dicendum ad rationes Scoti quod non sunt nisi tantum probabiles et nullatenus conuincentes.

83. Ad rationem doctoris *De causa Dei*, videlicet de positione possibilis, dico breuiter quod in ratione illa est magna aequivocatio de ‘possibili’. Nam primo accipit pro eo quod non includit contradictionem, et consequenter loquitur de possibili per naturam cum dicit “si est possibile esse aut a se aut ab alio,” et ideo non multum concludit, sicut ista propositio ‘Deus non est’, ut communiter dicitur, non includit contradictionem. Si ergo diceretur isto modo ‘possibile est Deum non esse’ et argueretur contra ‘quia aut a se aut ab alio’, nihil esset ad propositum. 1115

84. Ad rationem magistri Ioannis, admissis suppositionibus suis, et breuiter concessa ratione, non concluditur nisi quod est deveniendum ad unum primum in tali ordine, sed ex hoc non sequitur quod sit simpliciter primum in ordine omnium entium. Unde in rei veritate super eadem radice se fundant illa tria argumenta de causa effectiva, et magistri Ioannis de independentia, quia omnia ista 1125

1123 concessa] positione *add. sed del. C*

1092 Ad secundum] Cf. supra n. 63. 1098 ad tertium] Cf. supra n. 63. 1111 rationes Scoti] Cf. supra n. 62. 1113 Ad rationem] Cf. supra n. 64. 1122 Ad rationem] Cf. supra n. 65.

imaginationum primum in tali ordine; sed ex hoc non sequitur quod sit primum simpliciter. Et sic finitur articulus iste primus.